




36



*Disputationum Theologicarum repetitarum*  
*Decima sexta,*  
 DE  
**PROVIDENTIA DEI,**

Quam,  
 DEO OPT. MAX. FAVENTE,  
*Ex Decreto*

Reuerendi Ordinis facultatis Theologicae,

*Sub presidio*

Cl. Viri D. FRANCISCI IVNII SS.

Theologiae Doctoris, & Professoris primarij,  
 eiusdemque facultatis Decani spectabilis, in  
 celeberrima Lugduno-Bat. Academia,

*sueri conabor*

ABRAHAMVS AVRELIVS

v. Id. Septembris, Anno c<sup>l</sup>o. l<sup>o</sup>. iic.

*Hora locq<sup>3</sup> solitis.*



LYGDVNI BATAVORVM,

Ex officinâ Ioannis Patij. Anno c<sup>l</sup>o. l<sup>o</sup>. iic.

228 A 9<sup>36</sup>

*Clarissimis, & Reuerendis Viris*

D. FRANCISCO IVNIO SS. Theologiæ  
Doctori & Professori in Academia Leydensi,

D. HENRICO SMETIO Medicinæ Doctori  
& Professori in Academia Heidelbergensi.

D. HENRICO CORPVTIO Ecclesiæ Dor-  
dracenæ Ministro fidelissimo.

*Auunculis meis plurimum colendis,*

Hæc

## DE PROVIDENTIA DEI Theses

*In debita gratitudinis & obseruantia  
Symbolum dedico consecroq;*

ABRAHAMVS AVRELIVS.

## THESES THEOLOGICÆ

### DE PROVIDENTIA DEI.

*Creationem rerum iure sequitur œconomia, cuius artifex Prouidentia: nihil enim magis à ratione alienum fingi potest, quàm si otiosum Dominum & Creatorem facias, qui semel duntaxat in prima Mundi origine potentiam virtutemq; suam manifestauerit: nec ad sapientissimam atque admirabilem Opificis Prouidentiam contemplandam mentis oculos intendas. Quapropter cum superioribus Thesibus, de Creatione totius vniuersi satis superq; actum sit, iusta docendi methodus postulat, vt in præsentia de Prouidentia seu Gubernatione mundi breuiter τὸ ἐπιθετικὸν inquiramus.*

I.



Leganter Aristoteles dicit eos, qui viuis rationibus sibi probari cupiunt Prouidentiam aliquam esse, verberibus, non verbis, carnificis, non Philosophi (addo, nec Theologi) responso dignos esse. Et reuera si ignis calor, quem tactu, si Meridiani temporis lux quam visu percipimus, demonstratione non indiget, multò minus demonstratione indigebit Prouidentia diuina, qua tum Christianis hominibus ex <sup>a</sup> Verbo Dei, tum Ethnicis, ipsiq; creaturis mutis ex <sup>b</sup> naturali rationis luce, & præstantissima rerum omnium dispositione, ordine, atque conseruatione, nihil magis persuasum est, vel esse debet. Quare ommissa quæstione *An sit*, transibimus ad quæstionem *Quid sit*: præmissa tamen quæstione *quid vox significet*. Prouidentie enim appellatio nunc <sup>a</sup> latius, nunc <sup>b</sup> strictius accipi solet. Latius sumpra Æternum Creationis, Gubernationis, Ordinationisq; decretum, & executionem illius completitur: strictius ad solam rerū creatarū refertur œconomiam.

II.

Atq; hoc posteriore sensu vocem Prouidentie in præsentia accipimus, eamq; definimus esse Actum summi & vniuersalis Principij, nēpe Dei, quo omnia ac singula optimè gubernantur, & ad suum ordinem quamuis inordinatissima, finemq; perdu-

Q 2

perdu-

*Lib. de Mūdo c. 6.  
a Eccles. 5. 5.  
Sap. 8.  
Es. 10. 15.  
Mat. 6. 30.  
31. 32. &  
10. 19.  
Luc. 12. 11.  
12.  
b Rom. 1. 10.  
Iob 12. 7 &c.  
Psal. 19. 1.  
Arist. de Mūdo c. 6. Cic. pro Mil. Porph. ad Nemeritū.  
Arist. in Eth. Senec. c. 4. 5. 6. 28. 31. lib. 2. de Benef. &c.  
a Lacl. de Ira Dei. c. 10.  
Cic. de Nat. Deor. c. 2.  
b Sap. 6. 8.  
Theod. com. inter. 51. & diuin. decret. epit. c. Proui.*

perducuntur, ad Gloriam Dei. Hic omnia causarum genera sese offerunt, quæ in hoc negotio assignari possunt. Causa efficiens Prouidentia nulla dari potest, nisi fortè in ipso Subiecto nempe Deo, voluntatem ipsius liberrimam pro Efficiente statuamus. Formalis causa est, Actus ille perpetuus gubernandi ordinandiq; omnia. Materia circa quam, est vniuersus mundus, & singula quæ in eo fuerunt, sunt & erunt. Finalis deniq; causa est, vt omnia assequantur suos fines, suamque perfectionem, & cedant ad gloriam Dei, quæ vltimus rerum finis.

III.

Huius, (quam definimus) Prouidentia duæ sunt veluti partes, vna<sup>a</sup> vniuersalis: altera<sup>b</sup> particularis: illa est, qua positum à se Naturæ tam superioris quam inferioris ordinem Deus tuetur, & vulgò Conseruatio mundi vniuersalis dicitur: hæc verò est, qua peculiare vniuscuiusq; Creaturæ curam gerit, præcipue autem humani generis, & maximè fidelium, quos propiore intuitu dignatur, & quorum bono reliqua creauit. Hoc verò Dei opus, quod in rebus creatis secundum duplicem suam Prouidentiam Deus efficit, etiã duplex est, Naturæ opus & Gratia. Naturæ opus appellamus, quod tum in Natura tam superiore quam inferiore tum in rebus naturæ singulis efficit, secundum illum naturæ modum, quem in natura rerum tanquam in limpidissimo naturæ suæ speculo expressit. Gratiæ Opus appellamus illud quod secundum beneplacitum voluntatis suæ efficit in Electis. Naturæ opus efficit secundum eam rationem qua principium vniuersale est in Natura rerum: gratia verò opus singulariter efficit, quia principium est vnicum & immediatum gratia.

IV.

Iam autem huius duplicis Dei Operis varius assignari potest modus: Nam I. est ordinarium vel extraordinarium. Ordinarium voco, quod commune naturæ aut gratia ordinem obseruat. Extraordinarium, quod præter communem ordinem existit: vt cum Deus Israelitas<sup>a</sup> Manna, &<sup>b</sup> coturnicibus: Eliã<sup>c</sup> coruo pauit, &c. quibus documentis paternam erga fideles curam suam ostendit. Itẽ cum Solem subsistere in vno gradu ad pre-

<sup>a</sup> Deut. 8. 3  
<sup>b</sup> Ex. 19. 13.  
<sup>c</sup> Eliã 4.  
Ios. 10. 13.  
1. Reg. 20. 11

ces Iosue, & in gratia Regis Ezechia vmbra eius retrocedere fecit per decem gradus. quibus paucis miraculis testatus est Deus, quamuis naturaliter singulis insita sit sua proprietates, vim tamen suam non exercere, nisi quatenus presenti Dei manu dirigantur, quum nihil aliud sint quam instrumenta, quibus Deus indit assidue quantum vult efficaciam, & pro suo arbitrio ad hanc vel illam actionem flectit: prout vel ipsa Temporum vicissitudo demonstrat.

V.

2. Hoc Opus est Mediatum, vel Immediatum. Immediatum est, quod tum in Natura vniuersi, tum in singulis partibus ipsius sine medijs seu causis secundis, & præter, vel etiam (vbi visum erit) contra omnia media peragitur: quod opus non parum facit ad gloriam Dei illustrandam, eiusq; potentiam manifestandam, vt quæ nullis astricta est medijs externis. Mediatum verò opus Dei vocamus, quod fit per varia media, nunc per naturam superiorem illam, nunc per hanc inferiorem tam communem quam singularem, nunc deniq; per singulas naturæ partes secundum naturam, & supra naturam ipsam prout visum est Maieitati eius. Atq; hoc singulare est bonitatis diuinæ cum sapientia illa sua *πολυποιίλω* coniunctæ testimoniũ, quod cum ipse vnus causa sit rerum omnium efficiens, finesque, formas, & ideas rerum omnium in sua ipse habeat mente, atq. ita habeat vt ad mundum hunc vniuersum à se factum ex nihilo conseruandum atq; gubernandum ipse vnus sufficiat; voluerit tamen dignitate causalitatis (vt ita loquar) etiã cum creaturis comunicare pro modo ipsarum.

VI.

Cæterum quia Media hæc non vnus sunt generis, ea in classes suas distinguemus. Media alia sunt necessaria, alia contingetia. Necessaria voco quæ secundum naturam suam certum necessario producant effectum: Contingetia verò, quæ contingenter. Illa, definitæ causæ: hæc, indefinitæ à Philosopho hæc ob causam dicuntur. Eorum quæ necessaria vocamus, duo sunt genera. alia enim sunt per se & absolute necessaria, necessitate

Eph. 9. 10.

1. q. 22. art. 3.

lib. 2. Phys. 6. 5.

(vt vocant) cōsequētis: alia ex hypothesi, necessitate cōsequen-  
tiæ. Cōtingentium ratio *ἢ τὸ ἀλλεῖσθαι* attribuitur causis & effe-  
ctis ratione futurorū, casualium, fortuitorumq;: futura omnia vt  
incerta nobis sunt, ita in suspenso habemus, ac si vtramuis in par-  
tē propensa forent. Omnium itē quæ Casu vel Fortuitò accidūt,  
causa est incerta; quippe quæ possunt fieri à pluribus causis. Ca-  
sus enim non est determinata causa, sed causa per accidens in ijs  
quæ operantur ob finē, sed sine electione, idq; in rarò cōtingen-  
tibus. Fortuitum autē hoc vno differt à Casu, quòd sit in ijs quæ  
habent electionem.

V I I.

Neq; hæc sententia pugnat cum Prouidentia diuina, etsi enim  
respectu æterni Dei decreti tanquā causæ primæ & remotæ ne-  
cessaria sint omnia: hæc tamē necessitas nō tollit Contingentiā.  
quia licet suprema causa sit necessaria, sc. voluntas Dei: potest ef-  
fectus esse cōtingens propter causam proximā contingentem &  
indeterminatam. res autē denominātur magis à causa proxima,  
quā à remota. adde, quòd res magis cōsiderantur in se, quā prout  
sunt in mente etiā diuina: vt e.g. lapis non vocabitur immateria-  
lis, quamuis sit immaterialiter in animo seu mente. Tertio, Pro-  
uidētia Dei non mutat naturas rerum, sed res omnes gubernat  
iuxta earum naturas. itaq; contingentes causas & voluntarias ita  
regit, vt cōtingenter agant, & volūtariè agant. Postremò ea ipsa  
quæ rebus cōtingentiā sunt, in eum modum fuerunt à Prouidē-  
tiā hac ordinata; cui non sunt contingentiā, sed alia alijs, licet in-  
tegra necessitate prouidentia.

V I I I.

Atq; hæc de prima Mediorum distinctione; ad alterā transe-  
mus. Rursus Media, alia sunt Bona, tam naturalia (vt substantiæ,  
motus, actiones, & perfectiones rerum) quam voluntaria & mo-  
ralia (qualia sunt virtutes ciuiles, & spirituales:) alia sunt Mala,  
& in se inordinata. vtraq; hæc Deus ordinat tā bona quā mala:  
nam etsi malum non est bonum, bona est tamen mali ad bonum  
ordinatio. Bona itaq; & ordinat & potenter efficit: mala ordinat  
& permittit, nō efficit. Permissio autē hæc nō est nuda, vel etiam  
ex im-

ex impotentia, prout sunt plurimum humanæ permissiones, sed  
ex voluntate libera; quæ iniusta censi non potest, cum Deus ex  
officio inhibere non teneatur, quia nullo iure cuiquam obstri-  
ctus est. nam quis dedit, & reddetur ipsi. Sed de hac Dei circa  
mala Permissione agetur pluribus in seq. disputatione.

I X.

Etsi autē tam<sup>a</sup> cōtingentiā quam necessaria: tam<sup>b</sup> mala quā  
bona à diuina Prouidentia pendere sanctè cum Scriptura assera-  
mus: nō tamen cum Stoicis (prout quidam huic doctrinæ inui-  
diā facientes calumniantur) fatum aliquod imaginamur, aut ne-  
cessitatē comminiscimur ex perpetuo causarum nexu & impli-  
cita quadam serie, quæ in natura cōtineatur: sed Deum cōstitui-  
mus arbitrum ac moderatorē omnium, qui pro sua sapientia in-  
effabili, ab vltima æternitate decreuit quod facturus esset, & nūc  
sua potentia, quod decreuit, exequitur. Qui enim Prouidentiam  
Dei includunt in Naturæ influxu, & fato hoc planè fatuo, ij sanè  
Deum sua gloria fraudant, & seipso vtilissima doctrina: quia ni-  
hil homine miserius si ad quoslibet coeli, elementorumq; motus  
expositus foret: adde, quod hoc pacto nec paterno Dei fauori,  
nec iudicijs locus relinquitur: ac si foecunditas vnus anni non  
esset singularis Dei benedictio: penuria ac fames non esset ma-  
ledictio, sed potius Naturæ influxus: cum tamē Deus in Lege &  
Proph. sapius pronunciet se his medijs gratiam suā & vindictam  
testari.

X.

Nō minus insulsè doctrinā hanc oppugnant, qui sub prætextu  
Prouidentia Dei vniuersalis ac particularis, omnes humanas de-  
liberationes, correctionesq; è medio tollunt: Aliud planè nos  
docet Salomon: *Cor hominis, inquit, cogitat viam suam, & Dominus*  
*diriget gressus eius.* significans æternis Dei decretis nos minimè  
impediri quo minus sub eius voluntate & prospiciamus nobis,  
& omnia nostra dispensemus. Neque id manifesta caret ratione.  
Namque is qui vitam nostram suis terminis limitauit, eius simul  
curā apud nos deposuit: periculorum præcios fecit: ne incau-  
tos opprimerent, cautiones ac remedia suggessit, quibus Proui-  
dentia eius subseruiamus, in propria vitæ cōseruatione: quemad-  
modum.

Rom. 11. 34

a Exo. 21. 13

b Ef. 4. 7

2. Sa. 12. 12.

Ier. 50. 25.

Et c.

Pro. 16. 6.

Arist. 2. Ph.

6. 5.

modum cōtrā neglectu & socordia, ea quæ nobis iniunxit mala, ipsi nobis accersimus. Et ideo nos celare futura omnia voluit Deus, vt tanquam dubijs occurramus, neq; desinamus parata remedia opponere, donec aut superata fuerint, aut omnem curam superauerint.

X I.

Magis adhuc dilutum & profanum figmentum multorū, qui admirabili Dei Prouidentia velum obtendētes nudā præscientiā prætedunt, eamq; à voluntate seu decreto seu proposito Dei æterno seiunctam causæ rationē habere volunt; quæ tamē per se causa rerū nullo modo esse potest: res enim nō sunt futuræ, quoniā Deus præscijt illas futuras, sed quia decreuit futuras, idcirco sunt ipsæ futuræ, & ipse futuras illas præscit. Taceo Epicureos qui Deum otiosum inertemq; somniant: aliosq; nihilo saniores, qui olim cōmenti sunt Deum ita dominari supra mediā aëris regionē, vt inferiora hæc fortunæ relinqueret, siquidē aduersus tam euidentem insaniam satis clamant mutæ ipsæ creaturæ.

X II.

Prouidentia diuinę fructus licet varij sint, pæneq; innumera- biles, possunt tamen ad hos duos summatim reduci. prior est, quod homines inde discant satis amplam benefaciēdi facultatē penes ipsum esse: secundus, quod securè in eius protectione quiescere licet, cuius arbitrio omnes subiacent quæ aliundè sperari possunt, noxæ, cuius deniq; imperio nō secus ac freno coërce- tur Satan cum omnibus suis Satellitibus. nec sanè aliter corrigi vel sedari possunt immodici & superstitiosi metus, quos subinde ex periculorum obiectu concipimus, quā si memoria semper te- neamus, non erraticam vel potentiam, vel actionē, vel motionē esse in creaturis, nec etiā fatalē: sed æterno Dei cōsilio ita regi, vt nihil eueniat nisi ab ipso sciente & volente decretum. Cuius vo- luntas iustissima est nobis rerum omnium causa: nō illa quidem absoluta voluntas, de qua garriunt Sophistæ impio profanoque ditcidio separantes eius iustitiam à potentia: sed illa moderatrix rerum omnium Prouidentia, à qua nihil nisi rectum manat, quamuis nobis absconditæ sint rationes eius.

πάντα δόξα Θεῷ.